15

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUAEDAM DE

HEPATITIDE

COMPLECTENS.

AUCTORE T. B. WILSON.

Jecur, omnium corpori humano organorum, sidere sub aestuoso, pronissimum est longe fieri morbosum; ob eamque caussam, attentionem facientium ibi loci medicinam, optimo jure, sibi vindicavit.

Hepatitis (sic enim morbus ab jecore inflammato proveniens à medicis ex ἧπαρ appellatur) cùm acuta, tum chronica seu vetusta est; ac sequente in tentamine, de hac, et



illa, quam brevissimè, est mihi constitutum tractare.

Illa Culleno clarissimo concinnè ita definita fuit.

"Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, saepe pungens pleuritici instar, saepius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnoea; tussis sicca; vomitus; singultus.*"

Signa.

Hepatitis acuta, languore, anxietate, necnon insolito frigoris sensu, calore aucto, pulsu citato, validoque duro, excipiendis, sese subinde infert.

Sensus plenitudinis, dolore nunc pungente atque acuto pneumoniae instar, nunc hebe-

* Synop. Nosolog. Method. Tom. ii. Genus xvii.

te ac obtuso comitatus, hypochondrio in dextro sentitur.*

Dolor usque ad humerum, jugulumque lateris laborantis saepe se extendit, nunc adeo immanis, ut brachii totius torporem, doloremque ad digitos usque extremos cieat; nunc perlevis inter humerum premendum solummodo suscitatur; denique, et reverà frequentissimè per morbi decursum penitus abest. In femore et crure lateris dolentis, torpor interdum quoque reperitur.

Dolor hypochondrii, in sinistrum latus decubitu, pressu lateri male se habenti adhibito, tussi, spiritu pleno, motu violento, corporeque incurvo, multùm augetur.

Respiratio haud sine dolore et difficultate perfungitur; ac tussis, morbo ineunte, et crebra et sicca; progrediente, autem, et humida, et quandam expectorationem praebens, etiam adest.

---

* Hippocratis De Internis Affectionibus, Sect. v. ubi signa ferè omnia, in hepatidite obviam euntia, accuratè fuerunt memorata.

Nausea, anxietas, quoque ventriculi oppressio, necnon vomitio saepe biliosa, pervigilium, subindeque delirium, sese in lucem afferunt.

Fauces et cutis summa, sapore ingrato, linguâ et aridâ, et crustâ nunc albidâ tunc subflavâ obductâ, urinâ parcâ, alvo adstrictâ, exarescunt.

Vultus adventante morbo turgidus, brevi et pallidus et moestus fit: cutis oculique in ante diem morbi quintum, minimè, autem, semper, flavescunt.

Nostrae rei, me judice, mentionem facere non alienum erit, totam jecinoris materiem inflammatione, signis partis gibbi vel superioris, ut apud quosdam obtinetur, ex concava vel inferiore diversis, eodem tempore minimè laborare.

Dolor pungens ad humerum extendens pressuque auctus, spiritus impeditus, singultus quoque, parte convexâ correptâ, sese manifestant: sin autem pars septo transverso

proxima opprimatur, dyspnoeam, tussim, necnon singultum, doloribus acribus ad thoracemque humerum usque vergentibus, majori incommodo aegroto esse, proditur.

E contrariò, parte concavâ inflammatâ, signa omnia olim recensita, et nausea, et anxietate, et vomitu magnoperè urgentibus, mitia et minùs violenta sunt.

Hepatitis acuta, sicut nostris terrarum in regionibus sese praebet, signis supra dictis plerumque dignoscatur; sed fervidis sub coelis dissimilitudine neque levi gaudet; ideoque attentionem nobis paululum meritò poscit.

Sub morbi initium, inflammatoria signa excelsa, nisi in iis, ex regione frigida, ad calidam nuperrimè venientibus, rarissime sese ostendunt.

Arteriarum pulsus, quod ad frequentiam, vimque duritiam, tantùm non naturales; sed irritabiles, cladem occultam tanquàm in lucem proferentes, micant.

Alvus, quoque, torminibus comitantibus,

quod signa alia per dies paucos subinde praecedit, ferè semper est soluta.

Morbum, igitur, formam magis subdolam, non minus, autem, periculosam, agnoscere, liquet.

Signa olim describenda suppurationem adesse indicantia, nisi remedia et maturè et utilitèr adhibita essent, protinàm patescunt.

Ictus arteriis, morbo adhuc provectiore, debiles, parvi, frequentiores, atque interdum irregulares, ad carpum vix ac ne vix quidem percipi possint.

Vultus lugubrè apparet; vires in dies decrescunt; sudores viscidi, per corpus totum, et praecipuè circa frontem, prorumpunt; diarrhoea colliquativa maximè excruciat; partes corpori extremae frigescunt; et aegrotus ab omni spe derelictus in sinu gaudet dispergere vitam in auras.

Signis Hepatitidis acutae traditis, chronicam describere transeundum est.

"Haec (inquit Cullenus) saepe nulla qui-

bus dignoscatur signa praebet; aliquando tamen eandem adesse suspicari potest, ex hepatitidis causis quibusdam praegressis, ex sensu quodam plenitudinis et gravitatis in hypochondrio dextro, ex doloribus plus minusve pungentibus in eadem parte subinde perceptis, ex dolore quodam a presso hypochondrio dextro, vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et denique ex pyrexia leviori cum dictis signis subinde infestante.*"

Hepatitis chronica impetus acutae saepissimè sequitur; eos, autem, calidis in plagis vitam diutius degentes, necnon, eos ad easdem, vel ex frigida, vel temperata, venientes, ac longiùs manentes, plus minusve invadit.

Signa ejus saepe in latebris gaudent, et diù fortassè adsint, priusquàm in conspectum, aut aegroto, aut medico, veniunt; indiciis, autem, sequentibus, morbus plerumque dignosci possit.

---

* Synop. Nosol. loc. citat.

Sensus plenitudinis, atque inflationis ventriculi, praesertim post pastum, bulimia subinde, saepius, autem, anorexia, anxietas circa praecordia, sensus ponderis ac gravitatis, dolor, et aliquando tumor epigastrii et hypochondrii dextri, est male se habenti.

Dolor hypochondrii modis iisdem ut morbo in acuto auctus, aliquando, humerum dextrum, necnon, rariùs, autem, sinistrum, petit.

Alvus, dejectionibus foetidis, tenesmo aeque ac torminibus sese praebentibus, abdomine tumido ac tenso, urinâ parcè ac labore editâ, et sedimentum subrubrum deponente, nunc adstricta, tunc nimis soluta fit.

Languet aegrotus a motu abhorrens, atque supra modum somniculosus est ; somnus, vero, diris atque horrificis somniis turbatus, ad quassas reficiendum vires, parum valet.

Animus, cunctis in morbis jecoris, rebus in sanitate gaudium, nunc angorem praebentibus, nunquam non gravatur ; et aegrotus,

sorti non invidiâ premi, amat in solitudine illacrymare.

Οἵτε γὰρ μελαγχολώδεες ὁκόταν φθαρῇ αἷμα ὑπὸ χολῆς καὶ φλέγματος, τὴν νουσον ἴσχοισι καὶ παράνοοι γίνονται· ἔνιοι δὲ καὶ μαίνονται· *

Aspectus ei quoquè, oculis fulgore orbatis, et subflavis, et hebetibus, et luridis factis, colore pristino in fugam etiam converso, ex sano penitùs diversus est.

Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa sede manet.†

Pulsus diù diutiúsque mutationem ullam minimè subit; quibusdam, autem, in exemplis, praecipuè morbo ineunte, praeter naturam tardus observatur; in provectiore, tamen, linguâ et aridâ et siccâ, siteque urgente, gingivis et durescentibus et pallescentibus, halituque foetido, pulsus, praecipuè die vespe-

---

* Hippocrat. De Morb. lib. i. sect. v.

† Horat. Flac. lib. i. carm. xiii.

rascente, tum frequentèr, tum debilitèr, tum enormitèr, micat.

Respiratio a morbi incunabulis difficilis est; progrediente, autem, magis magisque laborat; et aeger, inspirationes crebras, tussi et sicca et rauca urgente, asthmate, icteroque subinde, molestiam praebente, pectore ab imo trahit.

Latus in quodlibet laborans nequit decumbere; supinâ, autem, positurâ, humeris levatis, necnon dextrorsum aliquantò inclinatis, maximè gaudet.

Neque in silentio, humeros retrorsùm flecti, pectusque solita forma orbari, febrique hectica superveniente, corpore marcescente, viribusque pede incitato evanescentibus, animam ex domicilio terreno efflatam in ventos recedere,* praetereundum est.

Memoria quoque dignum est, signa supra dicta, eodem ordine minimè incursum facere.

זכר כי־רוח חיי
* איוב ז ז

Pyrexia, dyspepsia, alvus enormis, aspectus morbosus, animus aegritudini succumbens, dolor hypochondrii et epigastrii, et interdum humeri, impetum alternatim facient.

Jecoris inflammatio, sectionibus cadaverum suadentibus, quum signa jam recensa, aut desunt prorsus, aut adeo levia obveniunt, ut medici suspicionem vel aegri nunquam excitarent, subindè comperitur.

Morbum quod ad durationem, ac progressum magnoperè vacillare, aegro, in dies paucos, nunc vel in gremio sanitatis gaudente, superisve ab oris concedente, nunc per hebdomadas, menses, etiam immò annos valetudine adversâ laborante, scire pertinet.

De Terminis.

Resolutione, vel arte, vel naturâ factâ, in scirrho, et fortassè in gangraena, ut partium

aliarum inflammatio, Hepatitis potest terminari.

Quum morbus in resolutione sese spontè solvat, quaedam evacuatio critica, e. g. fluxus sanguinis naribus ex alterutris, vel vasis haemorrhoidalibus, expectoratio et libera et mucosa, urinae sedimentum, vomitio biliosa, necnon, ut videtur quibusdam, inflammatio partis externae alicujus erysipelatosa, forsitàn acciderit.

Etsi, autem, Hepatitidi hoc modo solvere sese lubet; nunquam medicum sagacem, rei tam faustae confidere, decet; quippe quae ad suppurationem sub coelo fervido proclivior est; hancce rem, remediis idoneis adhibitis, pyrexiâ atque dolore non solum non diminutis, verum etiam auctis, horroribus supervenientibus, atque gravitate hypochondrio in dextro sentitâ, expectare oportet. Si abscessus, in jecoris superficie concava prope marginem acutam situs sit, fluctuatio nonnunquam percipiatur.

In sanguinem per vasa lymphatica, ex apostemate, febrem hecticam letum laboranti laturam excitans, aliquando pus defertur. Erosio, autem, saepius fit, abscessu extimo in jecore existente, et pus, ut partes affectae, aut adhaesiones factae sint, nunc hìc, tunc illùc, effundetur.

Sin autem hepar concavum suppuratione laborat, intestinis quibusdam adhaerescat, atque pus deorsum, adhaesione, autem, ventriculo factâ, sursum, ejiciatur.

Quod si inflammatio partem hepatos convexam occuparet, adhaesio inter eandem, ac peritoneum ventrem vestiens superiorem facta sit. Tumore hic loci protrudente, abscessum, sed cautissimè, aperire licet.

Adhaesione quoque ad septum transversum factâ, pus viam sibi ad pulmones facere, atque, ex iis ejici felicitèr, potest ; saepiùs, autem, perniciei male se habenti veniet.

Si autem adhaesionum nulla, de quibus supra est dictum, facta esset, abscessus

in cavitatem abdominis, perniciosè prosiliatur.

Accidente, autem, erosione nulla vel adhaesione, pus, nonnunquam in duodenum ex abscessu, per ductum communem choledochum, sibi aditum felicitèr seligerit.

Hepatitidem in scirrhum, aut duritiem, ascite comitante, sed rarissimè, si unquam, in gangraena, sese solvere potest. Nostrae rei, judicio meo, mentionem facere, chronicam, causâ aliquâ excitante forti applicatâ, acutae locum, acutam, autem, saepius chronicae occupare, minimè alienum erit.

De Cadaverum Scrutatione.

Jecur aliquando magnitudinem impendiò augetur; quoniam octodecem libras, imò verò quatuor et viginti, (sano uncias quinque et quadraginta solummodo aequante) id re-

pertum fuisse, a medico celeberrimo monemur :* exemplis in alteris, superficie admodùm irregulari, multum profectò diminuitur.

Sentitur tactui subindè durior; et color ei etiam solito major purpureus est; atque membranae ejus notentur fuisse inflammatae. Adhaesiones ad partes vicinas plurimae, apostemata intra organon puris impleta, in medium quoque procedunt.

Cystis fellea, aeque ac ductus biliarii, necnon, Hepatitide praesertim in chronica, viscera abdominis pleraque, glandulis mesentericis obdurescentibus ac in magnitudine auctis, signa inflammationis quaedam ostendunt.

Pulmones ex statu sano versi oppidò nonnunquam deteguntur; ac, in navitis nonnullis pneumoniae succumbentibus, hepar valdè morbosum notavi.

---

* Audi Praelect. Professor. Gregor.

De Causis.

Qua in corporis conditione, quaque aetate, quove sexu, genus mortale huic morbo opportunius evenit, nedùm accuratè compertum est.

Homines aetate, autem, florentes, corpore robusto, temperamento sanguineo, gaudentes, morbis aliis minimè confectos, et nuperrimè in regiones aestuantes, ex temperatis, vel frigidis venientes, hepatitidi acutae esse magis obnoxios, verisimile videtur.

E contrariò, eos quibus temperamentum melancholicum est, quibus vires, tum diutiùs calidis in regionibus remorando, morbisque praecedentibus, rebus adversis, animique longâ aegritudine, necnon, usu laticum fortium diurno, confectae sunt, faciliùs in chronicam incidere, neque injuriâ, existimatur.

Hepatos inflammatio, et acuta, et chronica, causis confestim enumerandis excitari dicitur.

Exercitatio corporis perviolenta, vis regioni hypogastricae illata, vomitus vehemens; affectus animi graves, sive excitantes, ira scilicet, vel nimia gaudia, sive deprimentes, ut moeror terrorque subitus; necnon, otium humido sub jove, coelum varians, calor ingens, calvariae fracturae, febres praecedentes, concretiones intra jecur, bilis acrimonia, ventriculique distentio frequens, &c. morbo de quo dicitur ansam fortasse praebent.

Scire, autem, juvat, causam Hepatitidis perfrequentem fervidis in coelis, frigus humiditate conjunctum corpori aestuanti admotum, procul dubio versari.

Denique, inter causas facem huic morbo addentes, usum laticum meracum enumerare, minimè idoneum erit.

" Causa (physiologus inquit clarissimus) quoque excitans, quanquam non statim mor-

bum induxerit, si diu perstiterit, constitutionem corporis, quamvis validissimam, paulatim corrumpet, et variis morbis obnoxiam reddet; scilicet alteram causam remotam, nempe quae corpus morbo opportunum facit, gignet, vel in eam convertitur. Eadem igitur res nunc causa excitans nunc rursus causa remotior esse potest.*"

Quum causa proxima in tenebris versatur, hic loci de eadem, memet minimè accingam dicere.

Symptomatum Ratio.

Omnium signorum in Hepatitide obviam venientium, dolor ad claviculam et summum humeri dextri, difficillimum est explanatu. Alii ineptè prorsùs reverà, de inflammatione ad septum transversum, ad pleuram, et deni-

* Conspect. Med. Theor. Gregor.

que ad humerum serpente; alii neutiquàm ita insulsè propter consensum inter has partes per nervum phrenicum constitutum, censent eum pervenire.

Ratio difficilis in latere sinistro cubandi, in aprico est; tali in situ, scilicet, ligamenta inflammata magis tenduntur.

Dyspnoea, tussis, et singultus, de inflammatione ad septum transversum, et fortasse, ad pulmones usque serpente, sine dubio pendent. Spirandi, autem, difficultas, per auctam jecoris magnitudinem, motum septi transversi liberum impedientem, quoque efficiatur.

Vomitus, nunc temporis ab inflammatione in ventriculum impetum faciente, tunc a mole jecoris aucta eundem premente, et postremò, ab ingenti fellis quantitate ex duodeno missâ, haud dubiè oriatur.

Flavedo cutis et oculorum, a bile vasis lymphaticis resorptâ, atque ex iis in vasa sanguinem vehentia effusâ, contradicente

nemine, pervenit: bile autem venas in hepaticas retrogressâ, et demum felle non secreto, aliis judicibus, in apertum sese profert, sed de ea re nobis non liquet; in medio proinde relinquetur.

Diagnosis.

Dolore minus pungente, pressu ac decubitu in latus sinistrum aucto, ad humerumque extendente, tussi plerumque sine expectoratione, spirituque minus difficili, necnon, aspectu morboso, Hepatitis e Pneumonia distinguatur; nihilo segnius ex inflammatione ad pulmones usque extendente, aliquando fit, ut signa hujus et illius sese commiscent; nulli, autem, rebus ita se habentibus, detrimentum veniat, quippe quae ratio medendi eadem, morbo ineunte, utrique idonea sit.

Situ doloris, ardore in regione epigastrii pervehementi, anxietate ingenti, cibisque e ventriculo protinùs rejectis, prostratione virium insigni, necnon febre typhode, Enteritis ex Hepatidite minimè obscurè secernatur.

Observatu quoque dignum est, morbos varios, signis in quibusdam, Hepatiditi similitudinem gerere; historia, autem, et dolor ad humerum extendens, decubitusque in latus sinistrum difficilis, indagationes nostras felicitèr dirigent.

Prognosis.

Aetate, constitutione corporis habituque laborantis, necnon, vi morbo atque duratione, de exitu, vel fausto, vel infausto, judicandum est.

Si aegrotus tractu in fervido diu commoratus, si morbis praecedentibus, vel senio

fractus fuerit, prognosis plerumque infausta erit.

Dolor in hypochondrio immanis, pyrexia vehemens, sitisque inexplebilis, pallor etiam extremitatum et frigiditas, corpore urente, male se habentem spiritum finiturum esse praedicunt.

Singultus quoque funestum est, uti jam olim ab Hippocrate notatum.

Επι φλεγμονῃ τοῦ ἥπατος λύγξ, κακόν· *

Suppuratione incursum faciente, exitus in lubrico versatur. Si scirrhus adsit, anceps est; nam quanquam necdum exitialis, nihilominus aegrotantem, sortem communem subire, serius vel ocyus, impellet. Gangraenâ superveniente, conclamatum est.

His ritè perpensis, signa prognosin faustam indicantia facile discuntur; ideoque eadem memorare haud operae pretium erit.

Est tanti, autem, profari, ut, Hepatitide

---

* Sect. vii. Aph. 17.

in acuta quam in chronica, me judice, meliora sperare licet.

Postremò, aphorismum Hippocratis sequentem ita mutare, mihi concedatur.

Τῶν παντων νουσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορευσιες, οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγείης· *

De Medendi Ratione.

Quum ratio medendi, acuta in Hepatitide, ac chronica, plurimum differat, de iis seorsùm tractare meum erit.

Imprimis, regimen Antiphlogisticum † per decursum acutae totum sedulò adhibendum esse, omnibus liquet.

---

* Sect. ii. Aph. 19.

† De Regimine Antiphlogistico, ut dicitur, vide *Cullen's First Lines of the Practice of Physic*, parag. cxxx ; etiamque, Conspect. Medicinae Theor. Gregor. mcclvi ad mcclxvi usque, ubi loci, praecepta peridonea, perspicuitate summâ, elegantiâque, tradita fuerunt.

Sanguinis detractio generalis, remedium potentissimum, ac praestantissimum habetur; itaque haud parcè adhibeatur, necnon, secundum vires aegro, vimque morbo, iterùm iterúmque impavidè iteretur, oportet.

Sin autem corpus morbis aliis confectum fuerit, medici solertis est, sanguinem et parcè, et cautè detrahere: rebus sic stantibus, detractioni tantùm speciali, remediis aliis conjunctis, confidere fas est.

Epispastica super locum dolentem applicata, sine dubio aegrotanti auxilium ferent.

Alvi purgatio in hoc, ut in morbis ferè omnibus, remedium utile, jure existimatur. Pulvis Convolvuli Jalapae Sub-muriate Hydrargyri conjuncta, Sulphas Sodae, Sulphas Magnesiae, Phosphas Sodae, Tartras Potassae et Sodae, Infusum Tamarindi cum Senna, ad medici libitum, hoc consilium felicitèr promovebit.

Hydrargyrus, diu agmine in primo, re-

medium efficacissimum, tum in acuta, tum in chronica, et haud immeritò stetit. Quibusdam, spem sese, eo ritè applicato, nunquam fefellise, dicere placuit; nihilominus, signis inflammationis celsae astantibus, medentis est, morbo ineunte, semper pertundere venam.

Corpus, modis variis hydrargyro, putà lymphaticis cute in summa vasis hiantibus absorpto, aut ventriculo recepto, imbuatur. Drachma una, duae et etiam quatuor, re postulante, unguenti hydrargyri, femina, vel hepatis regionem, indie affricentur. Grana octo pilulae hydrargyri, vel tria submuriatis, bis quotidianò in ventriculum recipiantur: si alvus submuriate nimium prodisperetur, deinde paululum opii, et, ad diaphoresin lenem excitandum, rem haudquaquam inutilem, antimonii, adjungere licet.

Hydrargyrus, autem, portionibus multo majoribus, auctore idoneo testante, praescriptus est; quippe qui granis vicenis, medicamine sine quovis alio, ter indies, frictione

unguento eâdem operâ adhibitâ, sese usum esse, necnon, hanc quantitatem, neque alvum nimis duxisse, nec ventriculum oppressisse, sed actionem glandulis salivam secernentibus, citiùs quam in minoribus, ac frequentius iteratis, nos certiores fecit.*

Granis viginti perfrequenter usus sum, duis, autem, quotidianò, adhibitis, sed, aliquid incommodi, aut periculi, tali ab exhibitione pervenire, nunquam observavi.

Quomodo, autem, cunque, remedium hocce adhibitum sit; ut sapor aeneus in ore sentiatur, atque donec signa pedes retrò ferent, imò etiam ad tempus quoddam postea morbus evanuisse videtur, continuetur, oportet. Sed salivatio copiosa aut vehemens nullo pacto fieri debet; quippe quae multum incommodi aeque ac periculi, aegrotanti haud dubiè ferret.

Quantum hydrargyri, ad consilium ido-

* Influence of Tropical Climates on European Constitutions, by James Johnson, Esq. Surgeon, Royal Navy.

neum obtinendum, aliis magis aliis egentibus, non facile dictu est; et, regionibus in calidis terrarum, suppuratione praesertim jecori imminente, ptyalismum vix ac ne vix quidem excitari posse, scire expedit.

Insuper his, balneum calidum, fomentationes, haustus salinos, clysmata emollientia, adhibere identidem convenit.

Omnibus remediis memoratis parùm juvantibus, si suppuratio sibi locum delegerit, fluctuatione sentitâ, et abscessu externè vergente, deinde, ad pus evacuandum, scalprum in tumore defigere fas est; hoc, autem, percautè, et nunquam, nisi adhaesiones fuerint factae, peragendum est; quippe quod ceteroquin exitio aegroto vertet.

Remediis quae ad acutam medendam, ita recensitis, nunc pauca dicere de iis quae ad chronicam pertinent, meum est transire.

Duae medendi rationes in apertum prolatae sunt; altera usurpatio est salium mediorum purgantium; altera, autem, diuturnum,

levem, atque, forsitan, iteratum hydrargyro usum commendat. Et haec et illa suis non caret laudatoribus ; verum enimvero, neque ad alteram nec alteram semet astringere, sed alterutram, re postulante, adhibere, ad medentem sagacem spectat.

Quod exhibitionem salium attinet, multa in aqua solvi, et portionibus in idoneis altero quoque die sumi, debent; atque hoc modo, ut aquae variae medicinales, tantopere morbos in hepatos vetustos laudatae, quantùm valent.

Administratione hydrargyri in hoc, ut in acuto ferè eâdem existente, repetere non tanti est ; nihilo segniùs, et parciùs et diutiùs praescribendum esse remedium, nunquam ex animo delendum est.

Alvum, saltèm, quotidie, semel exonerare, semper magni interest.

Emplastra Meloës Vesicatorii regioni hypochondrii apposita, iterum saepiusque renovata, consensu omnium, multùm prosunt.

Acidum Nitricum nuper ore pleno laudatum fuit, neque fortassè immeritò, utile auxiliare. Sed Conium maculatum aut Leontodon taraxacum pro despectissimo habeatur.

Varia aromatica et tonica, ut vocantur, scilicet Cinchona officinalis, Colomba, Quassia excelsa, Gentiana lutea, Anthemis nobilis, Myristica moschata, Amomum Zingiber, ad sensus levandum molestos in hoc morbo obviam euntes, magnoperè conferunt.

Quod rationem potûs aegri et victûs attinet; latices meraci omnigeni cane pejus et angue fugiendi; et potus ex aqua pura omnibus aliis palmam praeripit. Omnia indurata, fumata, salita et condita evitanda; et res quae nutritum levem sinu in suo recondunt, putà Cycas circinalis, Orchis mascula, et Maranta arundinacea, modicè sumendae.

Accipe nunc, victus tenuis quae, quantaque secum
Adferat: in primis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini, credas, memor illius escae
Quae simplex olim tibi sederit. at simul assis

Miscueris elixa, simul conchylia turdis;
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. vides, ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque adfigit humo divinae particulam aurae. *

Quoniam observationes sequentes medici admodùm sagacis, de diaeta aegrotantium, ad rem multum spectant, fas mihi sit verbis ejusdem uti.

" Quod si librae duae boni panis fermentati, cum tribus libris lactis vaccini in die, sat erit ad alendum hominem sanum et validum et multum se exercentem, perspicuum est, dimidiam, vel fortasse tertiam partem istius quantitatis nimiam futuram pro aegro, debili, ignavo et lecto quasi affixo.

" Multum quoque nocuit praeceptum, illud commune atque plausibile, quamvis revera ineptum prorsus, et saepe periculosum, de victu valetudinariorum; nempe ut saepe

* Quint. Horat. Flacc. Liber II. Satyr. ii.

in die edant, et parum assumant uno quovis tempore, prae metu scilicet ne ventriculus nimio onere simul accepto opprimatur. Sed dum ab hoc praecavetur, in aliud vitium curritur; nam multi hoc modo, quamvis aegri et debiles, plus nutrimenti spatio unius diei devorabunt, quam sani sumere solebant; sic etiam ventriculus multum infirmabitur, nunquam ferè ut debet evacuatus; nam nihil magis ad ejus vires conservandas, aut reficiendas si defecerint, confert, quam tempestiva exinanitio, et interdum etiam inedia aliqua, per spatium solito longius." *

Videndum quoque est, ne divo mutationibus subitis aegrotus objiciatur; necnon, indusium laneum per corpus totum induere, operae pretium erit.

Supremò, sicut debilitas insignis, atque proclivitas in morbum recidere, tum post acutam, cum vetustam plerumque supersunt; concedendum est aegroto, ad coelum propi-

* Conspect. Med. Theor. Gregor.

tiorem transire; quod, hoc saepe valet ad eum gremio *Hygeiae* restaurandum, cum omniæ medicamina frustrà administrata fuissent.

"*Ne aegri quidem quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicina est?*"

M. T. Cicero. de Nat. Deorum, lib. ii.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.